



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Episcoporum succeßione, & Alexandro Antiocheno episcopo. Cap.
XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.

Quinetiam isto excellenti totius orbis terræ doctore mortuo, episcopi Occidentis non prius cum episcopis Aegypti & orientis, & Bosphori & Thraciæ communicare voluerunt, quàm nomen illius sanctissimi viri in tabulas, quibus nomina episcoporum mortuorum continebantur, retulissent. Atque Arsacium eius successorem ne salutare quidem dignati sunt. Atticum autem, qui succedebat Arsacio, quique sæpè legatos ad eos miserat, sæpeq; pacem postulauerat, postea tandem, cum Ioannis nomen in tabulis inscripsisset, receperunt.

De Episcoporum successione, & Alexandro Antiocheno episcopo.

CAP. XXXV.

Eodem tēpore Cyrillus filius fororis Theophili Alexandriae episcopus fuit, auunculi in eo præfulatu successor. Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopatum tunc gefit Ioannes, vir planè insignis, successitq; Cyrillo, de quo supra facta est mentio. Ecclesiam verò Antiochenam administravit Alexander, cuius pia vitæ ratio pulchrè cum episcopatu consentiebat. Nam toto vitæ tempore ante susceptum episcopatum in palæstra monastica contrito, cum plurimum se exercuisset, generosum athletam se plane declaravit: quippe tum oratione docuit alios, tum vitæ consuetudine orationem confirmavit. Iste successit Porphyrio, qui post Flavianum illius ecclesiæ clauum tenens, multa suæ benignitatis monimenta post se reliquit. Cui quidè summa etià animi prudentia non parum attulit splendoris. Diuinus autem Alexander, sæueta vitæ disciplina, studio sapientiæ, ægestate voluntaria, eloquentia, aliis deniq; spiritus sancti donis admodum excelluit. Idemq; factione magni Eustathii causa inchoatam (quæ quò minus iam pridem esset cum reliqua ecclesia denuò sociata, Paulinus impedimento fuit, & post eum Euagrius) sua persuasione & consilio, cætero ecclesiæ corpori adiunxit, & talem diem festum, qualem nemo aliquando viderit, ex insperato celebrandū curavit. Nam omnibus eadem fide consentientibus in vnū collectis, tam sacris initiatis, quàm laicis, ad illorum conuentum acce-

tum accedit. Atque assumptis sibi, qui cantare nouerant, uoque hymnorum concentu contexto, à porta quadà paruula ad occidentem spectante usque ad maximum templū totam plateam compleuit hominibus, & fluuium rationis participem, similitudinem fluuij præterlabentis mirè adumbrantem, effecit. Quæ cum Iudæi, Arriani, & Gentilium reliquiæ, quæ perpaucaerant, viderent, gemere & lamentari cœperunt, quòd alios iam fluuios in ipsum ecclesiæ quasi mare illabi cernebant. Iste præterea primum Magni Ioannis nomen in tabulis ecclesiæ inscribendum curauit.

*De reliquiarum Ioannis quæ postea facta
fuit, importatione, & Theodotii
Iunioris ac fratrum eius facte.
CAP. XXVI.*

POSTEA verò ipse etiam Ioannis doctoris præstantissimi reliquiæ fuere Constantinopolim urbem primariā tractatæ. Itaque fidelis hominum cœtus, pelagus, nauigiorum multitudine, velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuere. Hunc thesaurum is, qui iam imperium administrat, qui ut aui nomen fert, ita synceram eius pietatem seruat, in illā urbem importandum curauit. Idemq; vultu & oculis in sancti illius viri loculo defixis, pro parentibus precēs fudit, orauitque ut iniuriarum per ignorationem factarum veniam illis tribueret. Iam pridem autem eius parentes mortem obierant, illo iam tum valde adolescente orbo relicto. Sed ut orbitatis molestias experiretur, parentum & maiorum suorum deus neuitquam passus est. Nam & eum ipsum pietatis educauit alimentis, & imperium vacuum à seditionibus conseruauit, & animos, si qui ad tyrannidem propenderēt, compresit. Quorum beneficiorum semper memor, patronum suum laudibus & hymnis celebrare non cœsat. Atque huius hymnorum concentu dei laudandi cōsuetudinis socias habet sorores suas, toto vitæ tempore virginitatē excolentes: quæ & pro summis delitiis habent literarum commendationem sacrarum, & pro certo solidoq; thesauro rerum egentibus necessariorum suppeditationem. Et quamquam